



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)



P R Æ F A T I O.

Non sum ignarus, ut utar verbis Arnoldi Corvini in *Præfatione ad suos Juris Canonici Aphorismos*, miraturos multos, quid me moverit, quòd post Nucleum Theologiæ Canonico - Moralis, tantâ Librorum in Jus Canonicum editorum copiâ, nostro hoc tempore exuberante, Nucleum in Jus Canonicum publicæ luci dare præsumam, cùm fateri cogar, extare innumera Juris Canonici Compendia, longissimos quoque Commentarios eòsque doctissimos. Verùm quia scribentes in singula Capita, ut *Gonzalez, Tellez, Wagnereck* &c. prolixitate suâ legentem fatigant; alii, ut *Reiffenstuel, Leuvenius*, &c. plurimis magnisque voluminibus conformiter ad Rubricas Titulorum formant *Quæstiones*, *Casusque* resolvunt, ex Legibus, tum Civilibus, tum Canonicis aliunde conquisitis, ut vix dignosci queat, quænam in singulis Titulorum Capitibus specialiter decidantur. Nonnulli, ut *Desselius, Corvinus*, &c. brevi nimium methodo Jus Canonicum tradunt, ut Juris Candidati ex iis parùm utilitatis capiant, potissimumque solùm totius Juris peritis pro refricanda memoria deserviant. Hinc, ut tenerem cum brevitate claritatem, & facilitatem noscendis Legibus opportunam, (Corpus enim Juris Canonici singulis ad manum non est) selegi methodum moderno sæculo magis aptatam, è singulis ferè Titulis principales Canones, seu Constitutiones Conciliorum & Pontificum summarie proponendo, modum-

P R Æ F A T I O.

dúmque tradendo eas ad particulares Casus emergentes applicandi, ita, ut intellectus præsentis Nuclei totam fermè Juris Canonici doctrinam complectentis, principiis instructus, facile cognoscat, quo Titulo in occurrentia Casûs dubiû famosiores Canonistæ sint consulendi; hic enim **NUCLEUS** incipientibus, & repetentibus præbet fundamentum, iisque facilem & pronam reddet omnem reliquam operam studio Canonico impendendam, ut ex eo quivis faciliorem sibi viam ad insignem exactioremque Juris Canonici notitiam parare possit. Itaque, quia peritia Juris Canonici non tantum iis, qui Ecclesiasticis muneribus adhibentur, & ad ea aspirant, sed & Jurium Civilium peritis est utilissima, & in brevitate, quam profiteor, diversissimos Casus, etiam recentissimos, in supremis Tribunalibus ventilatos, & decisos, aut indecisos adhuc pendentes, reflexè ad Titulos & Capita inserui, benevolus Lector exilem hunc conatum æqui bonique consulet. Omisi verba initialia Capitulorum, quæ in iudiciis allegari solent, quia ab Advocato seu Cause Patrono in Corpore Juris Canonici, vel numero in Indice Compendiario R. P. Ernici Pirhing fideliter notato, Wagnereck, &c. facile reperiuntur. Errores interim Typographicos, & laterales asteriscos, seu hinc & inde omissos, seu non debite positos, si quos per decursum Operis reperias, tu prudens Lector benignè excusa, & si quem fructum ex præsentis **NUCLEO** hauseris, **DEUM** pro me ora, & vale.



(†)



ELENCHUS